17. Juin 1402.

Cum virtute certarum Litterarum
a nobis proparte Bartholomaei dicti
le Norgal obtentarum et magistris generalibus
monetarum nostrarum Parisiensium directarum
dictus Bartholomaeus in possessione et
saisina officii custodiae seu gardiae
affinatorum et separatorum auri et argenti
villae nostrae Parisiensis coram ipsis poni
de Emolumentorum et proficuorum ejusdem
uti et gaudere petiisset executioni quarum
Campsores seu magistri facti Cambii nec

non affinatores et separatores dicte ville
nostre parisiensis se opposuerunt, et ob hoc
certa dies eisdem suas causas oppositionis
dicturi coram dictis Generalibus magistris
monetarum nostrarum assignata extitisset
coram quibus dicte partes comparentes per
dictos Generales magistros ad tradendas suas
rationes et facta per modum memorie
ad fines per ipsos electos appunctate
extiterunt, ac per eosdem magistros certa
provisio ad utilitatem illius ad quem spectare
debuisset in finem processus servatura,
videlicet quod de marcha argenti delavatur
per dictos affinatores affinati unus
denarius Turonensis gardie affinator.
debitus in manu nicolai Oleardi Clerici
monetarum nostrarum tanquam in manu
justitie poneretur ordinata fuisset, pendente
qua provisione dictus Bartholomeus
certam peciam argenti ponderis unius
marche, quatuor unciarum in affinatoria

Joannis dicti Le Barrois contra dictum appunctamentum ut dicebant Procurator noster et idem Joannes veniendo, et ob hoc ad requestam dicti Procuratoris et Joannis coram dictis Generalibus et Magistris adjornatus extiterat coram quibus dicti procurator noster et Joannes ad finem quod dictus de Morgal dictam peciam argenti dicto Joanni Le Barrois restituere teneretur, ac erga Procuratorem nostrum pro nobis in emenda sexaginta librarum Parisiensium vel alia tali prout ratio suaderet condemnaretur plures rationes et facta proposuissent, dicto de Morgal in contrarium plures rationes et facta proponente; quibus partibus per dictos Generales et Magistros auditis et per modum memorie ad tradendum suas rationes et facta appunctatis, dictisque processibus tandem de consensu dictarum partium in Curia nostra Parlamenti evocatis, et in ipsa in statu in

quo erant ad judicandum recepta his visis et diligenter Examinatis.

Per judicium dictæ Curiæ nostræ dictum fuit dictos Campsores ad bonam et justam causam se opposuisse dictas que Litteras dicta curia dicto Bartholomeo minime fore integrandas declaravit et declarat ipsum ab Expensis dictorum Campsorum et ex causa relevando et per idem judicium dicta Curia dictam Bartholomæum ad reddendum et restituendum dictam peciam argenti dicto Joanni condemnavit et condemnat ipsum Bartholomæum a cæteris impetitionibus et demandis dictorum Procuratoris nostri et Joannis absolvendo et Expensas per dictum Joannem factas compensando. Pronuntiatum xLiiia. die junii anno 1402. S. Verani o Balleti. /.